Si quis secum cogitat orbis terræ statum, immanissimam Turcarum gentem fœdissima superstitione deceptam imperium suum tam late propagasse, ut horribilis sit omnibus gentibus; Germaniam olim Deo fidelem nationem, ex qua fortissimi Christi duces quamplurimi prodierunt, variis hisq pestiferis hæresibus miserabiliter a Deo primum, deinde a se ipsa disiunctam; Anglian, et non minimam, ut domesticam Italiæ suam omittam, Gallia partem eodem quo Germania morbo laborantem, is innumerabilium scelerum, quibus orbis terra contaminatus est, indicia ac diuinæ iustitiæ uestigia agnoscit et intelligit principum principem, regem regum et moderatorem rerum omnium Deum inimicorum suorum feritate et immanitate uti ad deprimendam nram superbiam, et pro iustitia sua efficere, ut quando mortales salutaria documenta quæ præcepit negligunt et eius iussa contemnant, peruersas opiniones, quas ambitio, auaritia, inuidia, luxus peperit, sectentur, et peruersa uita ratione et immoderato rerum usu delectentur. Quam rem cum interdum considero utinam sæpius, ut meam humanique generis calamitatem rectius cognoscerem, considerarem, incredibili dolore afficior et me plurimum sentio egere consolatione. Cum autem idem sibi accidere Christianam Remp: amantes nonnulli homines, quorum consuetudine utor, mihi affirmassent, optaui ut a uere Christiano et docto homine calamitosis his temporibus loci traderentur, quibus unusquisq Dei ope implorata acerbissimum dolorem aliqua ex parte posset lenire. Quare, ~~hominem~~ ut eos quos dixi uiros